

## DE LUITIONE PIGNORIS.

### 8.31.1

*Impp. Severus et Antoninus AA. Antiochiae.*

Qui pro parte heres extitit, nisi totum debitum exsolvat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest.

*PP. III k. April. Albino et Aemiliano conss. .* [a. 206]

### 8.31.2

*Imp. Gordianus A. Domitio.*

Intellegere debes vincula pignoris durare personali actione submota.

*PP. XII k. Iun. Sabino II et Venusto conss.* [a. 240]

### 8.31.3

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Floro.*

Si reddita debita quantitate vel rebus in solutum datis sive distractis compensato pretio satis ei contra quem supplicas factum adito praeside probaveris, vel si quod residuum debetur obtuleris ac. si non acceperit, deposueris consignatum, restitui tibi res pacto pignoris obligatas providebit, cum etiam edicto perpetuo, actione proposita pecunia soluta creditori vel si per eum factum sit, quominus solveretur, ad reddenda quae pignoris acceperat iure eum satis evidenter argueri manifestam sit.

*S. VI id. Oct. AA. conss.* [a. 293]